

An ipsa fides respectu alicujus ob-  
jecti possit esse evidens: an obscuritas sit  
de ratione fidei. A. & N. Tanner. Tom. 3.  
Theol. Schol. disput. 1. quæst. 1. dub. 5.  
n. 158. seq.

An fides amittatur per quodcunque  
peccatum mortale?

Affirmat Johannes Ferus in 1. cap.  
Johan. vers. 9. quem ideò castigat Do-  
minicus Soto, fors leviter dissentien-  
tem? minimè; sed contra Concilium  
Tridentinum ita sentientem error est  
(ait ille) Tridenti condemnatus, vide-  
licet, quod fides per quodcunque mor-  
tale delictum amittatur, quia non,  
nisi per infidelitatem perditur. Hæc  
Soto. Una hæc, gravisque (nisi fortè  
leve sit contra Concilium sentire) dis-  
sensus.

Alia: Michael Medina hanc censu-  
ram Dominici à Soto, ut ineptam refel-  
lit, & Johannem Ferum defendit.  
quo teste dicam, quæris? Ad testem  
Sixtum Senensem, qui que hæc omnia  
in sua nobis Bibliothecâ consignavit,  
lib. 6. annot. 179. fol. 629.